

reddita. Dixerat alter senex, se vidisse Susannam cum Juvene ὑπὸ πείνου sub prino, cui respondet Daniel Græcus, expectas te angelus Dei gladium gerens πείσας μέσον discindere et medium. Quia tales vocum allusiones neq; in hebraica neq; in chaldaica lingua dantur, certum est, historiam Susannæ neq; ab hebræo Habakuko, neq; a chaldaeo Daniele esse scriptam Conf. Hieron, Praef. in Daniel.

§. 12.

Belis & Draconis historiam, quam Eusebius Apollinarius & Hieronymus Habakuko attribuunt, ab eo non scriptam esse, temporis ratio indicat. In Graeco Daniele Cap. XIII. v. 65. utraq; historia ad Cyri tempora refertur, hoc enim indicant verba; *Cum Rex Astyages concessisset ad maiores suos, Cyrus Persa regnum ejus excepit. Vivebat autem una cum Rege Daniel &c.* Ponamus Habakukum annos triginta natum propheticum officium suscepisse, quod ad minimum tertio anno ante primam Nebucadnezaris invasionem juxta calculum Usserii Anno mundi 3395. & ante Chr. natum 609. factum est. Deinde a prima Nebucadnezaris invasione usq; ad Cyrum Babylonii imperantem numerantur 70. anni. Ex quo calculo sequitur, Habakukum centenarium fuisse, qualis senex suis messoribus non apportat cibos, quod referatur in draconis fabula. Ceterum ea, quae de cibo Beli, de idolo ejus Danieli tradito & destrueto, de ratione, qva Daniel & sacerdotum fraudes detexit, & quae reliqua sunt ejusdem generis, fabulam aperte redolent. Sic reliqua, quae de dracone a Daniele interempto & quae de ipso Daniele per sex dies in foveam leonum conjecto, Habakuki cibo sustentato, & deniq; liberato narrantur, luculenter indicant, autorem veram historiam Daniel. VI.

B. 2

com-